1826

SPECIMEN MEDICUM
INAUGURALE
DE MORBIS EPIDEMICIS
IN GENERE,

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE, EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

JOHANNIS-CAROLI HAUFF,

MATH. ET PHYS. SCIENT. MAGISTRI, IN FACULTATE SCIENT. PROFESS. ORD.

NEC NON

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO

Pro gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN MEDICINA PRIVILEGIIS AC HONORIBUS

IN ACADEMIA GANDAVENSI,

RITÈ ET LEGITIMÈ CONSEQUENDIS.

PUBLICÈ DEFENDET

NAPOLEO POUTRAIN, TORNACENSIS.

DIE 10 JANUARII 1827, HORA 11

TORNACI, TYPIS DOSSON-VARLÉ, IN FORO.
1826.

Ex præscripto art. 56 leg. acad. opiniones in dissertationibus propositæ, illarum auctoribus propriæ, et à facultate nec approbatæ, nec improbatæ sunt habendæ.

OPTIMIS

Patri et Matri.

DE MORBIS EPIDEMICIS

IN GENERE.

PROEMIUM.

MAGNUM opus aggreditur, de *Morbis epidemicis* dicturus. Jamdudùm primus observator, rem hanc immensam excoluit *Hippocrates*, cujus vestigiis insistens *Sydenhamus*, plurima Hippocratis disquisitionibus adjecit; præviisque ducibus tantæ celebritatis, plurimi passim clinici, propriarum observationum tributa solverunt, adeò ut plurimi codices, vix tot ac tantas compilationes restringere nunc sufficiant. Infelix sanè hominum genus, si ex hoc factorum fonte, quid utilitatis non surgeret ! Attamen ne nimium tot gloriemur divitiis, animadvertendum ferè nullum fuisse Œsculapii cultorem, qui naturæ caracteri, hujus morborum generis, sedulò incumbens, universas ausus sit epidemias ad generalem conspectum revocare, ad quædam principia reducere, quorum applicatio universalior *Theseo* filum largiatur. Quos fortassè ab hujus operis munere deterruit laboris asperitas, criminari profectò nolumus; multò minus difficilem solvere quæstionem intendimus. Ast in immensâ messe, quis aliquot spicas congerere non confidit ? Præsertim in istis deluctabilibus momentis, ubi sub Epidemiæ clavâ, obtusa nostrorum civium decumbit tota gens.

DE MORBIS EPIDEMICIS.

« Epidemici sive populares sunt morbi, qui ab aliquâ causâ recenter natâ
» oborti, latè per populum sævientes, plura eodem tempore individua in-
» vadunt; post certum temporis intervallum iterùm disparentes. »

Professor KESTELOOT, path. general. § 92.

Non hìc sciscitamur undè repetenda sit epidemiarum causa, utrùm scilicet suum habeant in aëre fomitem (*) vel in aliâ qualicumque re

(*) Frequentissimus earum fons atmosphera est mutationibus sanitati inimicis crebro obnoxia; attamen et aliæ existunt potentiæ nocentes quæ latiùs diffusæ morbis epidemicis ansam dant, E. G. *Calamitates publicæ*, *annonæ caritates*, *bellum*, etc.

non naturali. Cuique causæ tribuatur popularis morbus, constat ipsius manifestari, mille formas, milliaque mortis imagines, adeò ut in tantâ morborum popularium varietate, nescitur quo modo retinendus sit *Proteus*. Quod si velo nimiùm densato ac cumulato, obnubilabitur genuina morborum popularium origo, liceat tamen ipsorum prodere caracteres; fortassè ex hâc cognitione ad causæ cognitionem satis verisimilem deducemur: itaque collectis undequâque symptomatibus, ab initio morbi ad finem, in id convenire, et quasi conspirare videntur, ut ex eorum congerie suboriatur (non dicam) febris exquisitè synochus, ast saltem in quo paulò post, temporisque morbifici progressu, tantum invalescunt symptomata, ut universale corpus in diathesim verè adynamicam decidat. Hinc è limine quasdam examini subjiciamus illius generis morbi circumstantias; lux quædam indè affulget. Ferè omnium morborum invasio eadem, eadem signa manifestat: et ut verbis uti non incusemur, quando factis admodùm certis gloriari possumus, liceat nobis quasdam tradere observationes, quæ theoriam adstruunt proponendam.

Hoffmannus in urbe Hallensi morbum observavit popularem, cujus initium sequenti modo apparuit. Insignis et subita tum inter initia, tum per morbi totum decursum adfuit virium prostratio; tantaque lassitudo febricitantium artus detinebat, ut pro debilitate, nec corpus movere, nec erecto corpore incedere possent, quin simul conveniant vertigines, præcordiorum auxietas, cephalalgia, etc. (Tom. 2, s. 1, cap. 10).

In civitate (Plymouth) Huxham easdem observationes confirmavit quibus febris contingit popularis, anno 1748, levi quasi horrore, ac universâ lassitudine correptis, mox nauseâ, et vertiginoso capitis dolore. Hœc ferè per quatriduum quo, aut vigiles omninò decubuere et lassati, aut ne sentientibus quidem, brevissimus et interruptus obrepsit somnus. Immanis præcordiorum anxietas, etc.

Sic experientiâ edoctus *Baglivius* scripsit: « In hujus modi affectibus ægrotantes conqueri incipiunt de nauseâ, sapore linguæ mutato, et ad vomitum propensione; primaque epidemicorum malorum labes, circà ventriculum et hypochondria, per anxietates cardialgias manifestatur. »

Hæc quoque invasionis symptomata in diurnis foliis observamus.

(Les malades affectés de la dyssenterie se plaignent tout-à-coup de faiblesse, de douleur à l'épigastre, dans le moment même où ils se croient à l'abri de la contagion, etc.)

Rapport de M. Charlier, Médecin de Binche, sur la dyssenterie qui régna dans la province de Hainaut, en 1779, journal de Septembre.

(Les malades éprouvaient d'abord des lassitudes dans tous les membres ; ils avaient la tête pesante, de l'anorexie, des nausées, la bouche pâteuse, fade ou amère ; une anxiété précordiale ; beaucoup d'agitation pendant la nuit, etc.)

Exposé de la maladie épidémique qui régna à Versailles, en 1806, Journal de Médecine, vol. 9.

Eadem de morbis epidemicis qui popularunt insulam Walkeren retinemus symptomata ; eadem et adhùc in morbis epidemicis per nostras septentrionales provinctias errantibus symptomata quoque videmus. Quas quidem autoritates congerere nunc si velimus, luce nobis evidens magis occurrit in morbis popularibus species uniformis, licet fortasse simul accedant quædam epiphænomena, quæ equidem faciem ut ita dicam, aliquo pacto immutant, quæque tamen naturam morbi ideò immutari non probant.

Inter verò personas admodùm diversas, sub quarum effigie mentiri possunt morbi populares, meritò certè annumerantur *exanthemata*, vel eruptio *miliaris et petechiæ*, coloris diversi ; ac prorsus alterum sibi fingeret de morbi alicujus caractere systema clynicus, nisi secum reputaret hæc totidem phænomena, varietates esse quæ multò potiùs ad ægrotum, quam ad causam epidemiæ materialem pertinent. Causam igitur uniformem si admittamus in morbo populari, uniformes effectus indè existimare nequaquam licet. Quot enim observationibus compertum habent practici, diversas causas quibus impetitur corpus vivens, licet in eodem caractere perseverent, oppositis ferè effectibus occasionem præbere ; et hanc veritatem potissimùm confirmant medicamentorum effectus, quæ ob diversam in individuo assumente dispositionem, improvisa dant producta, quæ sagax ipse clinicus prævidere nunquam potuisset. Si igitur ut pluries jam vidimus, sua est cuique sanitas, suus est cuique pariter morborum causam recipiendi modus : in ipsis indè constitutionis individualis visceribus investiga, atque reperies diversitatum originem quas diversa exhibent individua. Neque solum incuseris physicam dispositionem, quæ nullibi eadem est, sed et etiam mentis actualem statum, qui eò imperii in functiones merè physicas exercet, ut non minùs morbi incepti faciem immutare, quam nondùm inceptum larvâ novâ obtegere possit. Hinc ætas, bona corporis dispositio, temperamentum, animi quies, vel trepidatio, totidem sunt circumstantiæ, sed ad individua pertinentes, quæ causæ unicæ faciem diversam injiciunt, causæ, *inquam*, unicæ, quæ passim et ubique, iisdem signis in scænam traheretur, si in quolibet individuo uniformem reperiret dispositionem.

Universam epidemiarum igitur, breviori stilo causam adumbremus : causa omnis epidemica, illius est naturæ, quæ principii vitalis actuositati ita imminet, ut non tantum ejus robur infringere, sed et ipsam vitam extinguere intendat. Ergò generatim prorsùs est infensa causa epidemiæ : eamdem finem sibi proponit, corporis viventis eversionem, quia simul ejusdem corporis duplicem basim minatur, solida nempè viventia, et fluida quæ suam vitam ipsis specialem, a solidorum virtute mutuantur.

DE CAUSIS.

Epidemiarum, sicut cujusvis morbi, duplicem admittimus causam, nempè *remotam* et *proximam*. Hanc præstat ipsa nova organorum dispositio, ob præsentiam materiæ heterogeneæ, neque aliud est quàm morbifica affectio quæ quid novi supponit et peregrini intrà corporis sacrarium. Causa remota vel prædisponens, multiplici formâ se prodit, et si de epidemicis agitur, tot sunt causæ epidemiarum, quot sunt circumstantiæ, quæ deleterium infestum possunt producere, vel ipsius propagationi favere. Eheu misera mortalium sors ! quos undequaque causæ obsident nocentes, dùm vix unam aut aliam sanitatis conservandæ sibi conservare queunt. Nihilominùs ejusdem causarum examen suscipiamus, inter quas sigillatìm exponere est : 1.° aërem, 2.° regionem, 3.° tempestatem ; triplici articulo sic comprehendetur ordo causarum externarum. Posteà offerre 1.° ægrotantium ætatem, 2.r temperamentum, 3.° statum animi, 4.° victûs rationem, sicque colligentur causæ epidemiarum internæ.

DE CAUSIS EPIDEMIARUM EXTERNIS.

DE AERE.

Aër immensus est fluidorum non uniùs naturæ Oceanus, in quo immersa vagantur omnium coporum elicita rudera ; sub formâ invisibili inconspicui vaporis. Rudem ergò et indigestam molem fluidorum præstat aër, vitæ admodùm necessarius, non modò animantium turbæ, sed et vegetantium tribui, quæ vitam ex duplici telluris et aëris fonte hauriunt ubique diffusam.

Infinita propè modum phænomena evincere videntur, *aerem*, qualis ab omnibus trahitur, indefinitum esse receptaculum in quo jugiter combinantur, aut miscentur diversæ indolis principia, non minùs benefico effluvio patentem, quam pestiferis halitibus obsequiosum. Constat iterùm aerem, motu naturali impresso, ex unâ regione, tali vel tali qualitate indutum, posse in aliam migrare. Ubique tamen nobis sit in aëre immensa fluidorum

portio, quæ majorem aëris athmospherici partem constituit, in ratione sic demonstratâ, ut aër propriè dictus, vix quartam athmosphæræ portionem suppeditet.

Miasmata quædam, ignotæ naturæ, ab omni ævo admiserunt scriptores qui de morbis epidemicis disseruerunt; alio nomine qualitates occultas quibus inficiebatur aër. Hodiè nunc extrà dubium posuit ars chemica, omnia hæc miasmata, substantias esse *gaseosas*, sive effluvia quædam invisibilia, rapidè trans aërem vitalem volitantia, varioque insignita caractere, in eo solùm uniformi, quod singula aëris vitalis vicem gerere non possint, quippè quòd toto cœlo differant ab illâ aëris specie oxigenii, qui in atmosphærâ rsperitur cum iisdem proprietatibus, ac ille aër qui ex calcibus metallicis extricatur.

Hæc totidem effluvia quæ aëri puro atmospheræ commiscentur, sunt præcisè miasmata, quæ tantùm extulerunt antiqui scriptores. Vegetantia et animalia dissoluta, ipsorum est fæcunda origo, suâque putridâ decompositione largiuntur substantiam merè gaseosam. Igitur animantium putrefactione exurgit immensa diversitas in aëre; et facilè inde admodùm concipitur, corpus vivens, tali fluido obvium, innumeris esse simul ærumnis, ac pravis obnoxium affectionibus. Ubicumque oculos injiciamus, videbimus tunc animalium, tunc vegetabilium cadevera aërem vaporantia. Væ! regionibus ubi ista cumulantur! Hìc quoque cumulantur morbi, hìc arrident tetra fames communeque lethum; hìc dira labes in atsmospherâ fluitat, et civium capiti, tanquàm ensis suspensus impendet, ac per vicos et urbes trans jugulatas grassatur victimas.

DE REGIONIBUS.

Regiones sub duplici aspectu apparent, *geographicè* nempè et *physicè*. Quæ quidem distinctio in rebus epidemicis permagni est momenti. Clima physicum est præcisè *solis* aspectus, undè calor vel frigus deprehenditur, pro diversâ terræ globi ad æquatorem inclinatione. Clima verò geographicum variat ac re ipsà variare debet, pro diversis circumstantiis quæ equidem globi terracei inclinationem nulla tenùs immutant, sed quam obtendunt, aut efficaciorem reddunt, pro suâ diversitate; sic v. g. altitudines respectivæ, huic, illive vento expositio specialis: situs pariter, relativè ad vicinia quæ prospiciunt ac circumdant, vicinium maris aut paludorum plùs minùsve proximum.

Ad regionis ideæ complementum, accedunt natura telluris, aquæ, vegetantium ibi crescentium; tellus enim potest esse paludosa, vel montosa;

silvosa aut arida ; aquæ salientes vel stagnantes ; ad se hæc omnia pro medico sunt utilissima ; et enim in nostrà paludosâ patriâ ferè semper eædem grassantur epidemiæ (*febres intermittentes*) ac ut in italicis paludosis regionibus. Eædem in Americà torridâ quam in calidioribus aridisque Europæ locis, eosdem observamus morbos epidemicos (*typhus icterodes*), sed ex istis omnibus, paludosæ sunt his morbis magis obnoxiæ regiones.

DE TEMPESTATIBUS.

Omnes aëris tempestates, epidemicis præparandis, vel ipso facto producendis, idoneæ nascuntur. Tempestas ergò diversas modificationes patitur, frigoris, calorisve; sed frigus illud, sed ille calor separatim a siccitate, et ab humiditate spectari non potest : infidum nam foret productum, solum modò pensatum ex calore, vel frigore, si unus aut alter æris affectus, ab altero affectu, siccitatis, vel humiditatis sejungatur. Sed si veli portionem detraximus, quo latitat adhuc epidemiarum causa; si mephitici effluvii, nihil efficaciùs generationi favet, quam animantium ac vegetantium putrida decompositio, profectò calor humidus, præ cæteris athmospheræ inclementiis, funestâ admodum voce, epidemias debet invitare, et re ipsâ invitat; indè *Lucretius*, in suo opere immortali, versibus vaticinatur, *calorem humidum esse cœli irascentis donum.* Numquam equidem, dicemus, sed ejus modi cœlo, jugiter epidemias grassari; contendimus verò nullam cœli inclementiam velociores præbere pennas epidemiis, quas vulgò prætereà excitat. Sic in Epidemiâ Hallensi ab *Hoffmanno* observatâ, varium admodùm, maximâ tamen ex parte tepidum et pluviosum cælum; autumnus anni præcedentis 1798, regnaverat. Hyems quoque præter modum tæpida, et humida; et ver anni subsequentis pariter justò calidiorem et humidiorem aëris habuerat statum; venti enim flabant ex austro. Eadem, hoc quoque moriente anno, in nostrâ observavimus patriâ.

DE CAUSIS EPIDEMIARUM INTERNIS.

Hujus ordinis causas dicimus, quas clinicis offert totius regionis hominum individualis constitutio, vel constitutio specialior alicujus individui. In pago enim, in urbe, sunt infinita temperamenta, infiniti vivendi rationes, ætates diversæ, diversæ mentis passiones, etc. Quæ quidem omnia aliquoties efficaciter adeò epidemiam immutant, ut vix credas eamdem morbi causam. Novos hosce conspectus, novo animo suscipere est : felix profectò si quid

utilitatis ex nostrâ disquisitione nascatur; attamen quam possibile est hanc brevissimam trademus.

DE TEMPERAMENTIS.

Quemadmodùm stipes, alieno stipite insertus, hujus-ce succos naturamque sugit, sic morbus quivis ægrotantium constitutionis indolem refert individualem; quâ propter temperamenta, in diversis individuis diversa, diversitatis itidem in morbo epidemico inferre solent; et si hìc fari quod opinamur, piaculum non sit, morbi epidemici adeò à constitutione individuali effigies dependet, ut possit ferè spectari tamquam morbus quem sporadicam vocant: ut et etiam in qualibuscumque epidemicis morbis, temperamenti alicujus individuus magis ad illos obnoxius sit quam alter individuus, ideò magno temperamentorum cognitio est momento.

DE VIVENDI RATIONE.

Inter epidemiarnm causas internas, procedit vivendi ratio. « *Quœ virtus et quanta boni sit vivere parvo* » ait Horatius. Quam præclarè, quam justò hæc, nostræ hygiæ affigi possunt? præsertim et dum epidemica lues inter nos vagatur. Et enim vœ illi qui medium deserit! væ illi! qui gulæ obtemperat, qui potuum insidiosâ activitate hebetes jam sensus excitare satagit, qui sìne mensurâ, et indiscriminatim mensarum dapibus indulget; aut illi sedentario, sole motuque trementi, qui persequendo libros consumit annos, hi certò sese jugulant ense, sensim corporis labefactando fabrîcam, quam inermem morbo prodeunt publico. Sed et infeliciores! qui sæviente inopiâ, in venas infundunt substantias, quasi venenatas, sub formâ aquæ putridæ, viscidique panis et atri, quem non immutant lacrimæ quibus irroratur. Infeliciores et adhuc! terque infeliciores inquam, quibus ferè numquam spirare cœlestes conceditur auras, quique in antro invisibili, in tartaro ferrato vincula inanis crudelisque vindictæ trahunt, imoque pectore speratum includunt lethum. Victimas eheu! calamitati epidemiisque devotas, ac quasi consecratas has designo; et certè mille mortis imagines exhibent in morbo populari, antequam malorum universorum, in tumulo metam attingant: sed sæpè justâ compensatione, dum inops civium ordo pravam hygienem coacti sequuntur « *Pallida mors æquo pulsat pede divitis columnas.* » Præsertim istorum qui mensas equidem lautas opimasque circumdant, Bacchum libant generosum; mollibus in curcitis dormitant; quandò tamen, curas vel libidinis delirium somni papavera

non fugant; aut illorum qui noctes, Bacchi, Venerisve turpi impudicæ que cultui consecrant : istos immisericorditer obtun lit epidemia.

DE ÆTATIBUS DIVERSIS.

Ferè apud omnes vidi auctores, raro epidemias obsidisse infantilem ætatem, variolis exceptis, quæ præ cæteris, infantes vulgò impetunt atque castigant : jam igitur adolevit homo quem minatur causa epidemica : et provecti impetum felicius sustinent ægroti, à pubertate ad annum sexagesimum. Post hoc vitæ actæ spatium, periculosæ sortis est epidemia, potissimum si pectoris sacrarium et organa aggreditur.

DE ANIMI AFFECTIBUS.

Nemo ignorat commercium, quo mens et corpus intimè uniuntur; ob quam societatem, corpus vivens ita à mente dependet, ut numquam mentis reactionem impunè ferat et patiatur. Nemo nescit quantum in functiones exerceant imperium affectiones mentis. Hic itaque affirmare non dubitamus passiones oppressivas, ut v. g. mærorem, terrorem, etc., quæ corpus in delibitatem dejiciunt, posse exitiales esse, præsertim in epidemiâ quam ut umbra sequax sequitur universus pavor, cessemus ergò mirari tot anomalia symptomata in morbo qui terrorem figit ægrotanti; neque miramur funestum sæpiùs exitum; imbecillis enim natura adverso opprimitur deleterio.

Quot addenda forent hisce disquisitionibus, ut omnium voto satisfacerent; non nos profectò latet; et faciliùs defectum animadvertimus, quem nobis facilis foret reparatio. Ad id solum intendebatur tentamen, veritatem pretiosum revelare, unicam esse epidemiarum naturam, mille tamen facies, ob sexcentas undique circumstantias, quæ non minùs ad regionem lacessitam, quam ad ægrotos pertinere possunt. In hâc dissertione piaculum videtur, potentias nocentes epidemiarum reticere ; at istius dissertationis restrictæ limites , mihi latiorem vetant prolationem, meque, in medio horum morborum, accidentalium differentiarum includunt.

Novus sese offert rerum ordo, curationis nimirum in epidemiis adhibendæ; quæ quidem pars nostræ thesis, duplicem conspectum exhibere debet, nempè methodum prophilacticam, methodumque strictè curativam.

DE METHODO CURATIVA.

Nociva arceat, subministret utilia hæc methodus ; id est ratio curandi simul obstet tàm efficaciæ causæ epidemicæ, tùm ejusdem causæ pravis admodum effectibus. Primario igitur perpendat, quam debellanda advocat epidemia, qualis regionis situs, quales venti, qualis vivendi ratio, quale temperamentum : sollicitè scrutetur, nùm experientiæ defectus causas aliquot morbi sævientis introduxerit ; hæc enim investigatio potissimùm proficiet in detegendâ calamitatis indole, faciliùsque causam cognitam arcebit.

Quamcumque personam agat morbus popularis, vulgò organum obsidet speciale ; nunc *cerebrum*, ibique figit cephalalgiam febrilem, causæ altiùs radicatæ, symptomata ; nùnc *pectus* in quo *pleuritidem* vel *peripneumoniam* infesti caracteris determinat ; mox primas vias, ubi fluxum sollicitat *dysentericum*, mox cutem quam eruptione dehonestat : tandem aliquoties indiscriminatìm laborant quævis organa ; indè febris exquisitè maligna enascitur : ex his omnibus enascuntur medici præscripta, de istis jàmjàm locuturi sumus, sed tamen de generalibus principalibus solis effaberimur.

DE VENÆ SECTIONE.

Venæ sectionem esse remedium antiphlogisticum aut debilitans nemo non dubitaverit; dolores enim vividos mulcere, motus inflammationis inassuetos compescere, uno verbo sanguinis moti nimiùm fluctus componere, ejus auxilii jus est. Tutè ergò adhibenda in morbis qui excessu, aut intensitate motuum nocivâ insigniuntur, quandò autem excessus ille nocivus esse possit, quandò necessarius, determinare hoc opus, hic labor est. Attamen quæstio hæc sæpiùs solvitur, in morbo populari. In hoc enim affectionis genere, equidem, ob deleterii præsentiam exardescit imbecillitas ; et profectò hæc momenti unius exardescentia, haud arguit roburis argumentum. Malè igitur viribus locupletem ægrotum judicares, in quo turbulenta affectionis invasio. In memoriâ tenemus ægrotos esse adultos, id est homines duris laboribus vel periculosioribus deliciarum insultibus effœtos, primas ferre epidemiarum strages. Infelices verò admodùm forent morbo populari laborantes, si venœ sectionis adhibendæ, aut denegandæ nullum prostaret indicium.

Quandò sub obscurum induit inflammationis caracterem morbus ; quandò æger juvenis plethoricus ; quandò sanguis uniformiter densatur post extrac-

tionem statim, et initio conducunt sanguinis missiones. Tutius adhùc unâ, aut secundâ vice celebrantur, quandò suadent pulsûs tensio, durities larga, et potissimùm renixus. Fieri aliquandò potest, ut morbus, utpotè pectori affixus, ibi pleuritidem aut peripneumiam personet; ab illo hospitio diffide; neque indè eruas venæ sectionum necessitatem frequentiorum; ubicumque enim sedeat morbus, ubique suum typum malignitatis conservat.

Quandò ad mitigandum morbi incursum proficua observatur, venæ sectio, sæpiùs unica sufficit; infaustamque debilitatem posset afferre secunda.

DE ALIIS EVACUANTIBUS.

Sæpiùs locum à pluribus obtinuerunt, obtinentque et adhùc, hæc remedia. Sed fortassè ipsorum adhùc restringenda foret administratio. Equidem circà ventriculum et intestina vulgò nascuntur morborum popularium exordia. Ast in hoc hospitio totum nidulari deleterium nolo præsumere. Quin imò symptomata ex primis viis petita, aliquandò non sunt nisi effectus sympathici. Falsò igitur opinatur evacuantium laudator, eo pacto semper eradicari materiæ epidemicæ portionem aliquam. Attamen sæpè conducunt evacuantia emetica, licet principium morbi popularis infestum perstringere ipsis non concedatur. Si enim intrà primarum viarum recessus: *cacochyliam* suspicari possimus, plurima ex ejusmodi congerie pertimescenda; complicationem præbet vulgò funestam, quippè quod suâ morâ, suâ degeneratione potest anomales motus suscitare, Hujus ergò auxilii necessitatem ex sequentibus signis edisce. Nauseæ, vomitiones, fœtidi ructus, vel acidi, vel amari, spiritus grave olens, lingua sordida, ac sordibus spissata, limo gengivæ, palatumque incrustata, sunt totidem symptomata, quæ unanimi voce, in gratiam emeticorum conclamant, quodquod sit organum præcipuè ægrotans, quæque sit morbi sedes. At illud pharmaci genus scenam curationis aperiat; in hoc enim casu, ut verbis Hippocratis utar, *differre malum est.*

Sic utiliter prorsùs sublevatur natura, non quià, quid epidemici distrahitur, sed quoniam avertitur quid causæ epidemicæ extraneum, quod huic causæ alas, ut ità dicam, suppeditare potuisset. Sic naturæ permittitur magis sui compoti deleterium quod, ut jàm diximus, solis naturæ medicatricis viribus potest abnegari.

Hìc addere licet, vomitoria adeò utilia sæpè in morbis epidemicis plùs mali inferre posse, si omittantur, quâm damni, suppositè, quod subministrentur intempestivè.

Neque eadem de purgantium usu dicemus. Strictiores admittunt cautelas, non solùm initio, sed morbi quidem progressu ea omittere, occasione datâ : illa propignare, tempore alieno, æquè piaculunm foret.

Ab Hippocrate (de morbis, lib. II cap. XXI), docemur; quantum utile sit in morbis acutis dejectiones alvinas sustinere. Attamen etiàm fatendum eas esse quàm pessimi ominis, illudque potissimùm accidit, quandò omissa fuerunt, per vomitionem evacuantia. Attamen, purgantium actionem in ipsum morbi pincipium directam magis non existimamus, quàm emeticorum. Ab iis verò abstinere magis non licet : quin imò illa penitùs sufflaminare, periculosiùs. Si quid enim vellicantis, in intestinorum tubâ fixum adhæreat, undèquaque in hoc irritationis centrum irruunt hnmores, cujus istractio debilatem, maciemque rapidè admodùm advocat. Ad purgantia igitur properate, si necessitas urgeat. « Hos, si ab initio purgare volueris, id antè diem quintam facito, cùm venter murmuraverit : si non, à medicamentis abstineto. Verùm si murmuraverit, fuerintque excrementa biliosa, Scamoniâ mediocriter purgato. (Hipp. lib. 4, de rat. vict. in acut.) inferiùs quoque et ait « purgandum in valdè acutis, si materia turgeat. » Sed hæc et omnia valdè mihi apparent obscura, in omnibus epidemicis scamonias et alia horreo drastica, supplere mihi meliùs videntur aut cathartica, aut enemata leviter acidulata dùm necessario indicantur pnrgantia.

DE POTIBUS.

Medicus naturæ minister . . . . . . si naturæ non obtemperat, naturæ non imperat. Horumce verborum veritatem quam quædam experientia consecravit, profectò evertunt quidam morborum casus. Neque falsa foret illorum applicatio, quam in morbis epidemicis. Dùm enim natura corporis viventis, fluidorumque alluentium constitutionem evertere sibi intendit, omni ope, omnique operâ, niti debet medicus, illud propositum arcere, pravosque naturæ cohibere conatus. Jam illud opus exorditur artis industria, emeticorum, purgantiumque opportunâ propinatione. Sed laboris portio major absolvenda remanet; illudque perficiunt potus saltem quoties Epiphænomena non superveniant inexpectata.

Dùm ergo natura, aut potiùs dùm causa epidemica malignitatem aut putriditatem suis insultibus determinat, dùmque simul conspirat natura

insolitis motibus ad quos invita sollicitatur, ex adverso in tot hostes irruat ars Esculapii, largoque liquidorum anti-septicorum potu calamitatem futuram avertat. Nos certò fugit acidorum in morbis septicis mechanismus. Non nos latet verò, vegetantia, mineraliaque, acido speciali pollere, quæ utiliter putredini opponuntur. Hùc usquè ultrà non procedit disciplina præsens; sufficitque ut non rarâ manu, hoc genus auxilii sub formâ potùs, largiamur. Compescunt calorem, motus cohibent inordinatos, agitationes mulcent, etc. Uno verbo, consecravit antiquitas acida; consecrat et hodierna praxis; solaque sæpè naturæ sufficiunt ut possit medicatricem crisim terminare inter verò potus delectu digniores, oxymel simplex, præ cæteris, diligite aut ex acido seu chlorico seu sulphurico. apud rusticos, ritè succedit potus ex aquâ cum aceto, proportione tamen inæquali. Hæc methodus simplex et brevis equidem; sed, ut ait Baglivius; « Nusquam felicior erit medendi ars, quam cum fuerit familior facta naturæ, simplicitatis amans, turbarumque et luxuriæ aversatrix. » Quod de aliis et remediis quæ veluti, cortex *peruvianus*, *vesicantia*, *camphora*, *valeriana silvestris*, etc., etc. In morborum decursu frequenter locum obtinent præclarum, at tamen hæc omnia transimus ut minùs necessaria tanquam ab omnibus præcisè cognita : et ad methodum prophylacticam accedimus.

CURA PROPHYLACTICA.

Morbum auxiliis opportunis satiùs est anticipare, quam sanare; et certiùs est, cautelas aliquo successu cumulari. Si igitur inter morbi popularis victimas, sanos a morbo tutari volueris, hæc sint quæ suadeas, quæque ore patulo præscribas indefessus. Doctrinæ medicæ suaviùs privilegium, est a concivibus calamitates arcere.

Itaque contagiosum est vulgò malum epidemicum, id est contactu acquiritur, contactus ergò vitent qui stant adhùc immunes. Per vicos, per plateas, per domos nitidam imperamus munditiam. Longè a viventium societate putrescant cadavera, citiùs ex domis expellentur, altè excaventur tumuli, calxque tumulorum telluri largè misceatur. Pulvis tormentarius, vel nitrum deflagratione suum aëris puri arcanum prodat. Multiplices per vicos accedantur foci. Hoc artificio, patriam a peste liberavit Hippocrates, sed et hodiè magis edocta scientia. Inter sanitatis artis arcana invenit præs-

tantissima nova prophylactica remedia : *Chloruretum calcis* fumigationes à Guyton Morveau præscriptas, etc. (*).

Sed potissimum temperati sint cives ; recta ratio mensas, mentisque passiones moderetur. A Bacchi cultu abstineant ; *Venerem*, quidquid suadeat ipsius incantamentum, Venerem spernant. Frangit enim vires, viresque debilitatæ malo epidemico patentiores fiunt. A jejunio abstineant ; sed vegetantia, in victu, prælatum obtineant. Acidi sint potus.

Neque minùs necessaria mentis stoicum robur ; væ illis quos percutit mortis timor ! quique non nisi horrescentes futuram prævident : felix ex adverso, justus ille de quo poëta :

« Si fractus illabatur orbis,
» Impavidum ferient ruinæ. »

Antequam tandem equos aratro exsolvamus, observationem referre liceat, cujus hic applicatio utilis prorsùs nobis videtur. Inter populos Asiæ, plurimos reperiamus quos frequens castigat pestis. Cucurbitulas cruri femoribus-ve applicant, scarificatione pungunt iteratâ ; sicque ab aurâ pestiferâ sese defendunt. In lui Barcelonensi observaverunt evasisse plurimos qui aut ulcera aut cauteria ferebant. Cauteria igitur suaderem iis quos tenet pavor quosque fortassè minatur labes. Hæc cœlestia observavimus apud et medicales historias et politicas annales (**). — (Chose remarquable dans

(*) Parmi les personnes de l'art qui ont offert leur assistance aux malades des provinces du Nord, nous nous faisons un plaisir de citer M. Liébert, pharmacien, à *Tournay*, qui, dans plusieurs lettres adressées à S. Exc. le Ministre de l'Intérieur, a indiqué les moyens qui lui ont paru les plus propres à neutraliser les miasmes délétères des marais, qu'il regarde comme la principale cause de la maladie régnante. Pour atteindre ce but, M. Liébert propose de jeter de la chaux vive dans les lieux infectés, en assez grande quantité pour y corroder de suite les matières végétales et animales qui s'y tiennent dans un état continuel de putréfaction, ce moyen lui paraissant offrir le double avantage de neutraliser les miasmes dans leur origine, et de permettre par suite le desséchement des marais, sans crainte d'aucun retour funeste. Il croit aussi qu'il serait nécessaire d'enterrer les morts à une certaine distance de la ville, dans des fosses profondes, et remplies de chaux vive, afin de les anéantir entièrement. Les causes principales une fois détruites, les fumigations suivant le procédé de Guyton-Morveau, et les ablutions de *chlorure de chaux*, lui semblent alors seulement convenables à employer pour combattre les légers effets occasionés par les malades seuls, dont le nombre chaque jour devra diminuer. (*Feuille de Tournay*, n.° 2619.)

(**) Mercure français, journal de Novembre 1741. (Rapport sur la peste qui s'était répandue dans l'Ukraine.)

cette peste, c'est que ceux qui étaient affectés ou d'ulcères ou de pliques; ou qui portaient *quelques plaies coulantes*, en étaient presque toujours épargnés). — Tandem aliquandò immortalis Hencius, in eâdem calamitate, quâ opprimebatur *venetiæ*, cauteria civibus persuasit. Effectum dicat honos receptus. Statuam, in plateâ sancti Caroli, struxerunt cives, in quâ hodierni adhùc attoniti vident : ...... Hencius, *liberator patriæ a peste.*

TANTUM.

POSITIONES.

I.

A cibo in paroxismis abstinendum est.

(Hipp. lib. I aph. XI editio Hagæ-comitis anno MDCLXIV.)

II.

Lassitudines spontaneæ arguunt futuros morbos.

(Hipp. lib. II aph. V.)

III.

Duobus doloribus nec eâdem parte simul, vehementior minorem obscurat.

(Hipp. lib. II aph. XLVI.)

IV.

Qui ex febre diurnâ laborant, iis *phymata* aut dolores in articulis oboriuntur.

(Hipp. lib. IV aph. XLIV.)

V.

Si sanguis et pus cum urinâ reddatur, ulcerationem vesicæ aut renum significationem præbet. (Hipp. lib. IV aph. LXXV.)

VI.

Sunt febres essentiales.

VII.

Sunt apoplexiæ à systemate sanguineo independentes.

VII.

Dûm os aut ventriculus sedativa revoment remedia, tunc enemata cum remediis fortioribus sedativis parata prosunt.

IX.

Medicina à chirurgiâ inseparabilis.

X.

Hydropicis ulcera in corpore orta non facilè sanantur.

(Hipp. lib. VI aph. VIII.)

XI.

Ophtalmiam egyptiacam contagiosam sustineo.

XII.

Secundum climata morbi exanthematici, suam vel intensitatem adaugent, vel diminuunt.

Imprimatur :

J. L. KESTELOOT, med. Prof. ord.

H. T. Fac. Decanus.